

vendicioni facte inter nos et dictum radgerum, adhibiti fuerunt subscripti, silicet farthegn, spelbudhi <sup>2)</sup> nepos eius, Nicolaus in sungu, Jngieldus in Nesku, gutthormus in kioll <sup>3)</sup> filius Joans dicti karks <sup>4)</sup>, bero kiepter, sighus de diupuvijk, et Nicolaus presbiteri filius de lijth, et insuper in tradicionem possessionis huiusmodi vulgariter dicta skøtning, assumpti fuerunt in testes Dominus prepositus hÿggiulphus et helghi de lithi, In premissis proloquor extitit suprascriptus bero kiepter, In horum igitur omnium robur et euidenciam plenioram, sigillum nostrum presentibus duximus apponendum, Datum apud ecclesiam skøn anno domini Millesimo Trescentesimo, Tercio Non. marcij.

Sigillet skadadt, hængande på en ur brevet klippt remsa.

1384.

1303 d. 13 Mars.

Konung BIRGERS allmänna Påbud om försvarslösa och främmande landsstyckares fördrifvande, med föreläggande, att, så vida sådane personer i Riket funnos öfver en månads tid efter denna stadgas kungörande, de skulle visa hos hvem de voro i tjenst, så kärt dem var att undvika förlust af allt hvad de ägde, spöstraff och öronens stympande, samt att åter efter ytterligare en månads qvarstadnande undergå än hårdare bestraffning.

L. c. 7.

BIRGERUS Dei gratia Sweorum Gothorumque Rex omnibus Tiundiam inhabitantibus gratiam cum salute. Cum apud Skeningiam dudum fuimus constituti, quam plurimi Regni nostri nobiliores, tam consiliarii nostri, quam alii nobiles ibidem occurrentes, querulosa nobis insinuatione monstrarunt, quod ipsius Regni incolæ, propter clientum et cursorum ac Garcionum vagorum dictorum sculara, et præcipue ac maxime extraneorum nulli servientium crebros transitus, pregravantur, qui in multis locis homicidia occulta Mord dicta, furta et latrocinia, ac alia plurima fore facta dinoscuntur intollerabilia commisisse. Nos igitur considerantes prædictæ turbationis periculum imminens præcavendum, DEo auspice ex peritorum nostrorum consilio, prædictorum malefactorum audaciæ celeri remedio obviare quantocius affectamus, ne in jacturam pacis hujusmodi audacia transeat impunita; Unde per eosdem consiliarios nostros qui tunc aderant, duximus statuendum, ut quicumque Cliens vel Cursor seu Garico vagus, nulli serviens ut prædiximus, inventus fuerit in Regno vagabundus et Dominum cui serviat, non ostenderit infra mensem unum post publicationem præsentium, quam sibi pro termino peremptorie assignamus viatici testimonio, vel per patentes litteras, seu aliis sufficientibus Documentis, ipsum poena amissionis omnium

2) I Afskr.: farthigign spizelbudhi. 3) I afskr.: køl. 4) I afskr.: Karls.

rerum, quas habuerit, et corporis flagellatione, ac aurium mutilatione decrevimus puniendum. Si vero taliter castigatus in Regno remanserit, ita quod in Suecis supernis moram fecerit per mensem, vel ultra silvam Culmard quod dicitur uthan Skog, per quindenam poenam corporalem acriorem ipsum sustinere volumus per eos, quos ad hoc duximus deputandos postmodum infligendam. Præterea vos scire volumus, quod qualiter super his vel aliis vagabundis indigenis vel extraneis Regnum transeuntibus dilectus Pater noster, Dn. Magnus Rex, bonæ memoriæ statuit, et nos postmodum ordinare decrevimus, vobis infra prædicti mensis spatium intendimus lucidius declarare. Datum Anno Domini M. CCC. III. III. idus Martii.

1385.

1303 d. 14 Mars.

Lund.

Domprosten i Lund ANDREAS' Gåfvobref på all sin lösa och fasta egendom, till inrättande af ett altare i Lunds domkyrka, nemligen Westra Köpinge, Kyrkeköpinge, Skifvarp och Ståfvie i Skytts härad, 2ne bodar i Lund samt en gård dervid, till boställe åt tjänstförrättande presten, jemte föreskrifter om Domprostens rättigheter att tillsätta prest, samt dennes förrättning, m. m.

A. 5.

IN nomine patris et filij et spiritus sancti Amen. Notum sit omnibus presens scriptum cernentibus quod Ego ANDREAS Lundensis prepositus, ad cultum diuinum in ecclesia beati Laurencij lundis ampliandum et construendum ibidem, vnum Altare in honorem dei omnipotentis, et beatissime virginis Marie matris ejus, et beati Andree apostoli Longa mecum meditatione preambula et deliberacione habita diligentj. ac in Remedium anime mee, nec non et patris mej. Matris, fratris. parentum. et familiarium meorum. Do et confero sub condicionibus infrascriptis omnia bona mea mobilia et immobilia videlicet .III. or curias quas possideo in væstrakøpingæ. vnam curiam In kirkykøpingæ. vnam curiam in skipathorp. et vnam curiam in stæwøghø in skøshæræth. Jtem duas tabernas in ciuitate Lundensi in parochia beati Andree apostoli, quas habui de Magno swenson dicto gaggý et vnam curiam ibidem in parochia beati Jacobi sitam, in qua vicarius dicti Altaris habebit residenciam. vt ex eis sacerdos quicumque pro tempore fuerit institutus ad Altare predictum in memorata ecclesia commode sustentetur, et onera incumbencia valeat competenter supportare. In primis igitur volo quod ius presentandi sacerdotem vicarium, videlicet predicti altaris apud summum prepositum ecclesie antedictæ, quicumque pro tempore fuerit perpetuo remaneat saluum et integrvm. et ipse prepositus perpetuam tuicionem et plenam habere debet bonorum Altaris eiusdem. Sacerdos vero ad dictum al-